



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XLVII. Quod Fratres Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceat.
nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum
possint dividere suam Congregationem in tres Provincias, & augere ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quatenus opus sit, Ecclesiarum, Monasteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel offensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Jan. 1658. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. P. An. 3. die 18. Jan.

XLVII.

Quod Fratres Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceat. nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum possint dividere suam Congregationem in tres Provincias, & augere duos Definidores Generales, dummodò unaquæque Provincia habeat octo Conventus.

De hac Congregatione vide ad Constit. 175. Injuncti Nobis Urb. VIII. & ad Constit. 210. ejusdem.

Edita A. D. 1658.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Ludovicus à Sancto Joanne Baptista Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod alias pro ejus parte Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis, exposito, quod dicta Congregatio duas tantum Provincias haberet, illarumque Domus regulares per Castellæ, Beticæ, Aragoniæ, Navarræ, Cataloniæ, & Valentiniæ Regna, seu Principatus dispersæ, & à se invicem valdè distantes reperirentur, nec à duobus Provincialibus nisi difficulter visitari possent, quodque in eadem Congregatione quatuor dumtaxat Definidores essent, pro expulsionem autem incorrigibilium sex Definidores juxta Constitutiones fel. record. Urbani Papæ Octavi Prædecessoris Nostri requirerentur, & propterea nomine Congregationis prædictæ eidem Cardinalibus supplicato, ut ipsi Congregationi in ejus Capitulo generali prædictas domos regulares in tres Provincias, dummodò tamen unicuique trium Provinciarum hujusmodi octo domus regulares, seu Conventus assignarentur, dividendi, ita quod novus Provincialis pro tertia Provincia eligi deberet, nec non alios duos Definidores, qui eisdem auctoritatem, & præminentiam voti, & loci cum aliis quatuor Definitoribus prædictis haberent, pro graviorum dictæ Congregationis negotiorum expeditione eligendi facultatem concederent:

emanavit à Congregatione dictorum Cardinalium decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita attentis narratis, ac instante Procuratore Generali Congregationis præfate, committendum censuit prout præsentis decreto committit Eminentissimo Ordinis hujusmodi apud hanc Sanctam Sedem Protectori, ut si & quatenus prædictarum duarum Provinciarum supputationem, seu subdivisionem, ita ut ex eis tertia Provincia confurgat, ac in illa Provincialis, cæterorumque Officialium ad instar aliarum dictarum Provinciarum, & sub eisdem legibus electionem fieri, pro meliori ipsarum Provinciarum regimine in Domino judicaverint expedire, præmissa pro suo arbitrio, & prudentia indulgere valeat, modo tamen neutra ipsarum Provinciarum, pauciores quam octo Conventus habeat, in quibus regularis observantia vigeat, ac præterea, ut in Capitulo Generali alios duos Definidores cum omnibus auctoritatibus, præminentis, & prærogativis, quibus quatuor nunc existentes fruuntur, & gaudent, adeo ut inter omnes sex numero esse debeant in futurum, eligere, & superaddere possint, facultatem impertiri, in contrarium non obstantibus quibuscumque. Romæ 14. Decembris 1657. M. Card. Ginettus.

Decretum Sac. Congr.

§. 2. Cujus decreti vigore subinde Venerabilis Frater Noster Martius Episcopus Albanensis ejusdem S. R. E. Cardinalis Ginettus nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector Decretum edidit tenoris sequentis, videlicet: Martius miseratione divina Episcopus Albanensis S. R. E. Cardinalis Ginettus Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis, totiusque Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Generalis Protector, Attentis expositis, petitam licentiam, & facultatem ex præfatis duabus Provinciis tertiam erigendi, ac Provinciam, aliosque Officiales sub ejusdem Ordinis, & cæterarum Provinciarum legibus eligendi, dummodò nulli ex ipsis minus quam octo Conventus, in quibus regularis vigeat observantia assignentur, ac demum in Capitulo Generali duos alios Definidores superaddendi, & eligendi, ac in omnibus ad formam retrospecti Decreti Sac. Congregationis negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, & non aliàs concedimus, & impartimur. Datum Romæ ex ædibus nostris hac die 10. Januarii 1658. Card. Ginettus Protector.

Decretum Protectoris.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Ludovicus Procurator Generalis dictum Decretum ejusdem Martii Cardinalis Apostolicæ confirmationis Nostræ patronio communiri summopere desideret, nos ipsum Ludovicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, decretum præferentem memorati Martii Cardinalis Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus. Si qui de super quomodolibet intervenerint supplementum, salva semper in præmissis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium; Decernentes eandem præsentem Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suf-

Confirmat prout in rub.

fragari,

fragati, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit primo dictæ Congregationis, ejusque Provinciarum, & Domorum regularium, seu Conventuum quorumcumque, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permanentibus hac vice dumtaxat, specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Jan. 1658. Pontificatus Nostri Anno tertio.

XLVIII.

Breve, quo Vicarius Generalis Portugalliæ Minorum de observantia declaratur, quod sit solummodo Commissarius Generalis ad instar aliorum Commissariorum Nationum.

Commissarii Generales Nationales quotannis rationem reddere debent Ministro Generali de Capitulis in suis Provinciis celebratis, & de rebus præcipuis intra, & extra Capitula determinatis. Sic cautum fuit in Capitulo Generali Tolet. 1658. pro utraque Familia num. 17.

Edita An. D.
1658.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hu-
jus const.

Aliàs per nos accepto, quod Provinciæ tam de familia Observantium, quam Reformatorum nuncupatorum Ordinis Minorum S. Francisci Regni Portugalliæ, & suarum conquestarum præsentia Superioris, qui illas reget, maxime indigebant, attentis difficilibus dispendiosisque recuribus, qui non sine temporis diuturnitate, incommodo, & labore, ab illis partibus ad hanc S. Sedem Apostolicam haberi possunt, præsertim bellorum, & aliorum tunc expressorum de causis.

§. 1. Subinde Nos dilectum filium Joannem Pereira Provinciæ Algarbiorum d. Ordinis professum in Vicarium Generalem earundem Provinciarum dicti Regni, suarumque conquestarum Fratrum Minorum hujusmodi cum facultatibus ad id necessariis ad triennium inde proximum, & interim ad Nostrium beneplacitum Apostolica auctoritate constituimus, & deputavimus, prout in Nostris in simili forma Brevis tunc desuper emanatis Literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem sicut dictus filius Michael Angelus della Sambuca totius dicti Ordinis Minister Generalis Nobis nuper exponi fecit, in eisdem Provinciis dicti Regni Portugalliæ Fratrum prædictorum nunquam extiterit officium Vicarii Generalis hujusmodi, nec etiam ab illis fuerit requisitum, exindeque schismata, perturbationes, & alia incommoda in eodem Ordine possent exoriri. Nobis propterea idem Michael Angelus Minister Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè ut infra providere de benignitate Apostolica dignamur; Nos igitur eundem Michaelem Angelum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis senten-

tiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, mentis, intentionis, & voluntatis Nostræ fuisse, & esse, ut prædictus Joannes non Vicarius Generalis, sed solummodo Commissarius Generalis Provinciarum prædictarum sit, nominarique, haberi, & esse debeat ad instar aliorum quorundam ejusdem Ordinis Provinciarum Commissariorum Generalium, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus; ipsique Michaeli Angelo Ministro Generali facultatem interim expediendi negotia Fratrum Provinciarum Regni prædicti præsentium in Curia, & aliorum absentium ad eundem Michaelem Angelum pro expeditione recurrentium, auctoritate, & tenore præsentis concedimus, & impartimur.

§. 3. Decernentes prædictas Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus primodictis Nostris literis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Ordinis, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Aprilis 1658. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Constitutio contra Religiosos Congregationis Montis Virginis dignitates, Prælaturas, & officia dictæ Congregationis à quibuscumque personis tam Secularibus, quam Ecclesiasticis etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus procurantes.

Consimilem prohibitionem habent ferè omnes Religiones, ut videre poteris in Repertorio verb. ambitus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrofancti Apostolatus officio, quod autore Deo gerimus, admonemur, ut paternam Christifidelium, qui seculi vanitati renunciantes, & humilitatis spiritui adhærentes, Altissimi obsequiis sese sub suavi Monasticæ vitæ jugo devoverunt, curam gerentes, ambitiosum earum personis ad dignitates, & officia accessum intercludere studeamus.

§. 1. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis Monachis Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, præeminentiæ, & dignitatis nunc, & pro tempore quodcumque existentibus, ne de

Declaratio
prout in rub.Decretum
irritans.Dat. P. A. 4.
die 4. Apr.

XLIX.

Edita An. D.
1658.

Exordium.

Confirmat
prout in Rub.